



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, sev Institvtio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

XVI. Ne Sacramenta rite non dispenset, aut minus debito veneretur
Sacerdos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

tionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra
reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate; præ-
fertim quoad illa, quibus excommunicationis
censura annexa est, &c. *Idem Conc. Trid. Sess. 14. c. 7.*

Nullus sæcularis, vel regularis, etiam in
Ordinum suorum Ecclesiis, contradi-
cente Episcopo, prædicare præsumat,

Idem Conc. Trid. Sess. 24. c. 4. Sexta Synod. can. 33. 64. 12.
16. q. 1. c. adijcimus. Conc. Later. sub Leone X. Sess. 11.

CAPVT XVI.

DE SACRAMENTA

RITE NON DISPENSET,

AVT

MINVS DEBITO VENERE-

TUR SACERDOS.

SUMMARIUM.



OMNIA honeste, circumspecte, & per ordi-
nem, in Ecclesia fiant. 1. 2.

Sacramentum Penitentiae qualiter admini-
strandum, & penitentia peccatorum qualiter impo-
nenda. 3.

Sacerdos reuelans peccata penitentis, deponi, & per to-
tam vitam peregrinari, & in monasterium perpe-
tuo detrudi debet. 4. 5.

Fideles instruendi, vt reuerenter adorent Sacramentum Eucharistiae, & ad infirmos qualiter deferendum, & ministrandum omnibus 6.

Communicaturi lauent manus, & nitidis vestibus induantur. 7.8.

Nihil pro Sacramentorum administratione exigendum. 9.

Clericus, cuius negligentia aliquid de sanguine Christi stillauerit, qualiter puniendus. 10.

Qualiter qui euomit Eucharistiam. 11.

Quae, & sanctum Chrisma fideliter sub clauibus custodiri debent. 12.

Contrafacientes qualiter puniendi. 12.13.

Panitere qualiter intelligendum in Canonibus. 10.

1 **O**MNIA honeste, & secundum ordinem fiant. 1. Cor. 14.

2 In medio sedis, & in circuitu sedis quattuor animalia plena oculis ante & retro, &c. Et singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, & intus plena sunt oculis, &c. Apoc. 4.

Sacramentum Pænitentiae qualiter administrandum, & pænitentia peccatorum qualiter imponenda.

3 *Vide latius p. 1. c. 5. per totum, de Sacramentorum administratione, & p. 2. c. 7. §. 2. de lectione, & scientia, cap. caueat spiritualis index, n. 56.*

Sacer-

Sacerdos cōfitentis peccata reuelans de-
poni debet, & perpetuo peregrinari.

SACERDOS ante omnia caueat, ne de his, qui ei 4
confitentur, peccata alicui recitet, non propin-
quis, non extraneis, neq; (quod absit) pro aliquo
scandalo. Nam, si hoc fecerit, deponatur, & omni-
bus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando
pergat. *S. Gregor. de penit. dist. 6. c. eod. sup. p. 1. d. c. 5.
Sacerdos, n. 21.*

Sacerdos peccata reuelans non solum de-
ponendus, sed in monasterium perpe-
tuo detrudendus.

CAVEAT omnino Sacerdos, ne verbo, aut si- 5
gno, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat
peccatorem; sed, si prudentiori consilio indigue-
rit, illud absque vlla expressione personæ caute re-
quirat. Quoniam, qui peccatum in pænientiali
iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non
solum à Sacerdotali officio deponendum decer-
nimus; verum etiam ad agendam perpetuam pæ-
nitentiam in arctum monasterium detrudendum. 6
*Innoc. 3. de penit. & remiss. c. omnis vtriusque sexus. S.
Leo ep. 80. de penit. dist. 6. c. Sacerdos. Sexta Synodus
can. 102. Concil. VVormacien. c. 7.*

Sacerdos instruat plebem, vt reuerenter
doret Eucharistiæ Sacramentum.

de sup. p. 1. c. 5. de Sacramentorum administratione, 6

Sacerdos, n. 35. & num. 36. habeat. vbi, qualiter ad infirmos deferendum, & omnibus ministrandum.

Communicaturi lauent manus, & nitidis vestibus induantur.

- 7 OMNES viri, quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Corpus Christi accipiunt. Non est graue, quod dico, fratres. Quo modo viri lauant aqua manus suas, sic Eleemosynis lauant conscientias suas: similiter & mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi Corpus Christi accipiunt, si corpus castum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conscientia Corpus Christi suscipiant. Rogo vos, fratres, numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et, si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima, qua peccatorum sordibus inquinetur, Christi Eucharistia suscipitur? *S. August. serm. 225. de tempore.*

De eodem.

- 8 Custodire debes. vt *sup. p. 1. c. 3. §. 1. de sacrificij oblatione, n. 28.*

Nihil exigendum pro administratione Sacramentorum.

- 9 *Vide sup. p. 1. c. 5. de Sacramentorum administratione, c. spontanea, n. 39. & c. qui celebrat, n. 41. & per totum caput.*

Qua-

Qualiter puniendus Clericus, cuius negligentia de sanguine Christi aliquid stillauerit.

Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur: si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur, & Sacerdos a quadraginta diebus pæniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pæniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pæniteat: si vsque ad tertium, nouem diebus pæniteat: si vsq; ad quartum, viginti diebus pæniteat, & linteamina, quæ tetigerint stilla, tribus vicibus minister abluat calice superposito; & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondat. *S. Pius Papa de consecr. dist. 2. c. eod.*

a Quadraginta diebus pæniteat.] intellige, vt tot diebus ieiunet, & tot diebus à Sacramentorum communione abstineat.

Qualiter pænitere debeat, qui euomit Eucharistiam.

Si per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam euomuerint Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, & Presbyteri, septuaginta diebus pæniteant; Episcopus nonaginta: si pro infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pæniteant. *Pænitentiale Bedæ de consecr. dist. 2. c. si*

quis per ebrietatem.

Eucharistia, & sanctum Chrisma, debent fideliter sub clauibus custodiri; contrafacientes qualiter puniendi.

- 12 IN cunctis Ecclesiis Chrisma, & Eucharistia, sub fideli custodia, clauibus adhibitis, conseruentur: ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia Eucharistiæ, & Chriftomatis, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur: &, si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat ultioni. *Sacerdotale Romanum ex Concil. Later. c. 3. de cust. Euchar. c. 1.*

Qualiter pænitere debeat, qui non bene custodit Eucharistiam.

- II QVI bene non custodierit Sacrificium; & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit; quadraginta diebus pæniteat: qui autem perdidit illud in Ecclesia; aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pæniteat. *Concil. Arelat. de consecr. dist. 2. c. eod. Vide sup. p. 1. c. 3. §. 1. de sacrificij oblatione: & c. 5. de Sacramentorum ministratio-
ne: & p. 2. c. 11. de sollicitudine, vi-
gilantia, & zelo Sacer-
dotum.*